

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Joachim Schnobel Johann Hatten von

## **Disputatio Inauguralis De Crimine Laesae Maiestatis**

Rostochii: Kilius, 1645

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747410763>**

Druck Freier  Zugang





N. K - 2 (46.)





26

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
**CRIMINE**  
**LÆSÆ MAJE-**  
**STATIS,**  
**Quam**  
**DEO Trinuno fortunante**

Ex Authoritate & Decreto Nobilissimæ ac Amplissimæ Facultatis Juridice, in inclyta Rostochiensi Academia.

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi Clarissimi ac Consultissimi

**DN. JOACHIMI SCHNOBELII,**

J.U.D Professoris, & Juridicæ Facultatis p. c.

Decani spectabilis, Fautoris ac Promotoris

qui nunquam non honorandi,

Pro summis in utroq; jure privilegijs &

Honoribus consequendis

Publico examini subjicit

**JOHANNES von HÄZEMI**

Rensburgensis Hollatus,

Ad diem 19. Junij in Auditorio Majori,

horū matutinis & pomeridianis.

ROSTOCHII,

Litteris NICOLAI KILI, Acad. Typogr. Anno 1645.

Magnifico, Nobili, Amplissimo:


& Consultissimo

VIRO

DN. JOHANNI ADOLPHO  
KIELEMAN. J. U. D. Illustrissimi ac  
Celsissimi Principis ac Domini DN. FRIDERICI  
Hæredis Norvegiæ, Ducis Slesvigæ, Holsatiæ, Storma-  
riæ ac Ditmarsiæ, Comitis Oldenburgenſis &  
Delmenhorſtani &c. Cancellario di-  
gnissimo, Affini promotori & Patro-  
no meo magno omniq; ho-  
noris cultu demerendo

Hanc inauguralement disputationem officioſe  
inscribo, dedico & offero

JOHANNES von Hattin.



## Cum D E O.

### THESES 1.

**M**ajestas, de cuius lsionē & criminē cum  
Deo acturi sumus, vel à magnitudine, auctore Festo,  
vel à majori, ut putat Macrob. l. saturn. 12. sic dicta,  
jus summæ potestatis proprietate & pro nostro insuffi-  
to significat.

2. Estq; duplex, Divina quæ Domino Domi-  
natum, & Humana, quæ summo in terris Principi competit. l. 1. C.  
de summa Trin. l. 32. §. 4 ff de receptis qui arbitrium &c. l. 11. pr. C. de feritate.  
Hinc & crimen hoc duplex, alterum quo Divina, alterum quo Humana  
Majestas violatur. Et cùm illud, quod in Deum committitur, omnium  
criminum sit maximum, tantòq; maius, quanto Deus ipse omni terrena  
majestate major, longèq; gravius sit æternam quam temporalern offen-  
dere majestatem, Autent. Gazaros C. de Heret. & Manich. merito &  
primo loco de hac quædam, sed strictim faltem, erunt rangenda.

3. Inter modos autem, quibus læditur Divina Majestas, omni-  
um calculo primum locum obtinet Blasphemia, quod crimen omnibus  
alijs delictis & facinoribus detestabilius Reincking lib. 3. cl. 1. c. 1. n. 34.  
estq; contumeliosa de Deo locutio, quæ committitur, cum Deo aliquid  
tribuitur, quod in ipsum cadere non potest, dicendo eum esse injustum,  
impotentem; vel æternæ ejus essentiaz ac potentiaz aliquid derogatur, ve-  
luti, eum non esse omniscium, omni potentem; vel immediate convic-  
tum in ipsum effunditur, quo sacro Sanctum ejus nomen dehonestatur.  
vid. Menoch. de A. l. q cas. 375. Policij Ordnung de anno 1577. tit. 19 §.  
Nembllich so jemand.

4. In hosce blasphemos pæna gravissima est constituta Ius  
Divinum mortem illis imponit Levit. 24. v. 14. Nec minor de jure civili  
pœna in eos statuta, quippe Novel. 77. c. 1. §. precipitus dicere eos ultimo  
subdendos esse suppicio, per quod non mortem civilem, sed naturalem  
intelligimus, juxta l. 21. & 18. f. de pœna: confirmata etiam hæc pœna  
per ordinat. polit. imp. de anno 1548. tit. Von Orites lästerern §.  
Nembllich so jemand/item de anno 1577. dic. tit. & §. ibi: der sol am Leben!

oder Benachmung ex lictor. Silieder peinlich gestrafft werden. Jus Canonum blasphemos capitali poena non afficit, sed alio modo coeret, quem vide c. 2. extra de maledic. Hodie pro ratione blasphemiae & circumstantiarum, modo poena gladij ordinaria, modo abscessio membra, modo fustigatio cum relegatione, vel sola relegatio blasphemis dictatur. Capzov. præf. crimin. p. I. q. 45. n. 23. quæ sententia congruit texibus ordinat. polit. imperij modo allegatu & constitutioni Crim. Car. s. art. 106. ibi, nach Gelegenheit der person vnd Esterung. Ratio etiam, quod non semper capitaliter in blasphemos animadvertisatur, ea esse potest, quam reddit clarissimus D. Tolomeus in discursu de hoc majestatis crimen, sc. paucos superfuturos, si omnes essent decapitandi, qui noc se maculassent crimen, praesertim hoc tempore, cum militum impietas totum terrarum orbem suis blasphemis ac fulminationibus implevit. Sed de atrocitate hujus criminis ut & poenis videri potest Clarus lib. 5. sentent. §. blasphemia n. 2. Decian. tr. crim. lib. 6. c. 6. & Petrus Tholosan. lib. 33. c. 10.

5. In beatam Virginem non committitur hoc crimen, quia solus Deus adorandus & colendus Martb. 4. v. 10. quo collimat etiam l. 1. C. de summa Trin. quod tamen hoc modo limitatum volumus, nisi ista laesio ipsius Christi Salvatoris nostri personam & sacro sanctam ejus incarnationem tangat, contra quam Judæi impuræ evomere solent verba, quibus Salvatoris laeditur majestas, qui propterea quoq; licet alias in republica Christiana tolerentur, ad instar blasphemorum sunt coercendi.

6. Hoc proximè suscipit Crimen Hæreseos, quod vocabulum olim & bonam & malam in partem acceptū, prout illud ex quibusdam Ciceronis locis probat Reinking lib. 3. clau. 1. c. 5. n. 1. & seqq. idem probat l. 6. §. 2. ff. de excusat. sed hodie nomen est odiosum ac infame, quo significatur perniciosus ac pertinax error contra fundamentum fidei Christianæ, quem defendunt ij, qui Hæretici dicuntur ac pertinaciter in eo perseverant. Nomen quidem Christianorum sibi imponunt, à fidem tamen & communione se separarunt Nov. 109. in fin. pr. c. Hereticum est. 24. q. 3. Esse autem differentiam inter Hæresin & schisma probat c. inter Hæresin. 24. q. 3. Nec hoc tam grave crimen quam illud, cum Schismatici non tam in fide ac principali quodam articulo, quam circumstantia aliqua, Hæretici vero in ipso fidei fundamento errant; & quod Schismatici tantum secedant, Hæretici vero non solum suum dogma defendere sed & propagare studeant, Reinking lib. 3. clau. 10 cap. 1. n. 9. Q. 16.

7. Poena

7. Poena Hæreos pro temporum diversitate etiam varia fuit.  
Mosaica lex poenam capitum in deseritores legis ac veri cultus statuit.  
Deut 13. v. 5. Jus vero civile introduxit exilium l. 2. infin. C. de sum.  
trin. l. 10 C. de Episc. aud. quo adhuc rectius, quām igne, ferro, rota perti.  
naciōres puniuntur. Aliud dicendū de Hæreticis aperte blasphemantib⁹  
& seditionis, qui blasphemia & seditionis poenam, & quidem ultimum  
supplicium nonnunquam merito luunt. Sic in Anabaptistas ultore  
ferro animadverritur. R. Imp. de anno 1529. §. Nachdem auch kürzlich.

8. Agendum jam porrò esset de modis aliis, quibus crimen læ.  
se Majestatis Divinæ committitur, puta de Sortilegio, Incantatione, Ma.  
gia & illicitis Divinationibus, quas Mathematici proficiuntur, de quibus  
extat. l. 15. § 13. de injur. c. illud quod. 26 q. 2. c. igitur genit. 26. q. 3.  
l. 4. & seqq. de malef. & mathemat. verum contractum paginarum spa.  
cium nos ad crimen læse Majestatis Humanæ vocat, quod potissimum  
persequi est animus.

9. Rectè Vlpianus l. 1. ff. ad l. Julianam Majestatis proximum sacrile.  
gio, inquit, crimen est, quod dicitur Majestatis. Majestas autem Hu.  
mana nihil aliud est, quām absoluta, perpetua, legibusq; soluta potestas. Di.  
vidunt in Realem & Personalem, eamque divisionem pro principio po.  
litico ab omnibus fere receptati politici dicit Additio n. Rumel pars.  
3. differt. 2. ad Aur. bull. ib. 13. quæ & bene eruitur ex verbis omni.  
um Recesluum vnser vnd des H. Römischen Reichs Stadt & l. 1. §. 1.  
ad l. Julianam Majest. § 3. inst. de publ. jud. De illâ dici potest, quod cum  
Republica succrescat cumq; eadem & intereat, & indigitatur des Landes  
Majestatis Recht. Personalis Majestas transfertur de una personâ ad ali.  
am & cum ea simul moritur.

10. Lædere autem, sive imminuere majestatem, quod idem est,  
uti probat l. 1. ex quibus causis major. est de amplitudine aut potestate  
Populi v. g. Romani, aut ejus, cui populus Romanus potestatem dedit,  
quid piam detrahere, uti ex Cicerone lib. 2. de invent. dicit Tib. Dec. 17.  
crim. lib. 7. c. 2. n. 6. Est igitur Crimen læse Majestatis Humanæ, crimen pub.  
licum adversus statum securitatemve Republicæ aut Imperatoris Ro.  
mani à subditis præsertim commissum.

11. Species ejus duæ sunt: Perduellio, & Simplex læse majestatis  
crimen, quod nomen generis retinet l. ult. b. 1. l. 21. § ult. de donat.

l. 76. S. ult. de legat. 2. S. 5. inst. de heret. quæ ab intell. defer. licet non  
raro perduellionis crimen generis etiam nomine designetur, simplici-  
terque majestatis crimen dicatur l. 3 & 4 C. b. t. l. 10. S. 1. ff. de question.  
& reus perduellionis dicatur reus majestatis l. 6. C. b. t. l. 16. C. de quest.

12. Perduellio ( exinde quod olim hostis Perduellis l. quo nos  
hostes 234 ff. de v. s. vocaretur appellata ) est vel propriè sic dicta vel qua-  
si perduellio. Crimen perduellionis propriè sic dictum est, cum quis ho-  
stili animo adversus ipsummet directò Imperatorem vel Populum aut  
Rempublicam quid molitur l. ult. b. t. l. 5. C. eod. Quasi perduellionis  
crimen est, quod non ita immediate & directò contra ipsum Impera-  
torem aut Rempublicam; sed contra salutem vitamq; Consiliariorum,  
Senatorum, militum committitur d. l. 5. C. ad L. jul. majest. Bocer. 17.  
de crim. majest. c. 2. n. 14.

13. Crimen læzæ Majestatis Simplex est, cum civium quis alio,  
quam perduellionis animo in Imperatorem aut Rempublicam Roma-  
nam quid dolosè instituit ac machinatur arg. l. ult. b. t. uti, si quis ea sibi  
sumat, quæ solius sunt Imperatoris, quo vel decus ac dignitas Principi  
aut imperij imminuit vel securitati utriusque derogatur. Exempla  
eius vid. l. 3. S. eadem lege l. 4 in fin. l. 5. S. fin. l. 6. 7. S. ult. b. t. l. 2. C.  
de privat career. l. 2. de falso mon.

14. Committunt hoc crimen Subditi cuiuscumq; sint ordinis  
& conditionis; quia hi superioritatis & subjectionis ratione Principi-  
dem, obsequium & reverentiam naturali ac Reipub. jure debent l. 2. de. 7.  
v. jur. sive foeminae sive masculi l. 3. de bon. damnat. l. 5. C. b. t. junct.  
l. 1. de V. S. Decian. lib. 7. n. 8. n. 16, sive mediate sive immediate imperio  
subjecti. Omnes enim sunt subditi & cives imperij, qui in orbe Romano  
degunt l. 17. ff. de statu hom. Exclusos igitur volumus eos qui alterius di-  
non committunt Clem. pastoralis S. denique, junct. S. rursus de sentent &  
rejudicat. Hinc & notandum dicit Gail. lib. 2. de p. p. 6. 13. n. 19. quod  
Vassalus offendendo Dominum crimen læzæ majestatis non committat,  
modo non sit ei ratione originis vel domicilij subjectus d. Clement. pa-  
storalis. S. deniq; & S. rursus de sentent. & rejudic.

15. Quod assertum est de singulis subditis, idem etiam dicen-  
dū est de illis collective sumptis, Civitate sc. Provincia ac Universitate, si  
contra Imperatorem vel imperij Romani prosperitatem insurgant ac  
aliquid

aliquid machinent ut l. i. §. nibi: quae catus conventusve fiat b. t. l. C. cod. Conf. Hinrici VII. tit. i. §. ad hoc si qua communitas. Gal. de p. lib. 2. c. 9. Tum demum autem Civitatem hujus criminis ream fieri, ac in poemam l. Iul. incidere statuo, si convocato populo forte, ut neri solet per tubam, tympanum, vocem præconis aut campanam & deliberato consilio ad agendum quidpiam, quo Cæsarea majestas eiusq; & imperij securitas laeditur, descendat; alias vero, etiam si quid a maiore civitatis parte committatur, poena L. jul. totam afficiendam non esse cum Tib. Decian. statuo motus regula juris Canonici, quā dicitur ab omnibus approbadum quod omnes tangit e. Venerabilem 34. x. de electione & electis potest. e. quod omnes de Reg. jur. in 6. Exercit⁹ etiam hoc crimen committit quando pugnare & hostem vincere detrectat, cum posset, quod ab Ap. ppi Claudi⁹ exercitu factum Livius & Florus recentent. Et hoc modo vel maximè Imperatoris ao imperij laeditur authoritas ac salus.

16. Nec Clerici excluduntur, si dolore hostiliterq; contra Principem aut Rem publicam conspiraverint. Quamvis enim Jurisdictione secularium à Pontifice suo penitus sint exempti c. 2. ext. de foro comp. c. Ecclesia X de confit. e. cum non ab homine 6. ext. de jude. tamen jus divinum, quod magis observandum, aliud dicitur, æque sc. Clericum ac Laicum potestati seculari esse subiectum Rom. 13, & licer Clerici à jurisdictione seculari sibi immunes, sunt ramen de districtu & provincia sui Principis e. ult. nec aliquis ext. de off. & potest. delegat. Facit, quod Ecclesiastici enorme hujusmodi delictum patrantes privilegium ordinis sui merito amittant gl. in c. perpendimus lit. d. de sentent. & ex commun.

17. Videamus porro Objectum, seu in quos hoc crimen committatur. Et ex Definitione liquet, committi illud in Imperatorem & Populum seu imperium Romanum. In Imperatorem dico, utpote qui sine omni controversia non Majestatem solum, sed & excellentiam præfulgentem inter omnes Reges & principes orbis Christiani habet. Quod agnovisse dicitur Alphonsus Rex Arragonie, dum Fridericum III. Imperatorem singulari cultu & honore est prosecutus, & ad Aulicos officium Regis velut immodicum mirantes, dixit: Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori tanquam summo Regi, ille est caput & Dux Regum Corbman in lib. 1. Cod. tit. 1. quæst. 1. n. 7. Besold. de juri d. imp. Rom. q. 6. in fin. Addo & in Populum Romanum l. 1. §. 1. b. t. §. 3. in fin. depubl. judic. Quamvis enim omne imperium & potestatem L. Regia populus

lus

flus Principi & in eum contulerit. l. i. pr. ff. de const. princ. §. 6. iuss. de  
F. N. G. & C. tamen Realem illam & imperio coævam Majestatem re-  
tinuit, eaq; se nunquam abdicavit, quod vel in translatione imperij in  
personam Caroli M. est a pertissimum. Quod tanto magis hodie est di-  
cendum, ubi Majestas ratione effectum non plenarie & per omnia resi-  
det in Imperatore, sed cum Statibus universis Imperij est communica-  
ta. Hinc ita loqui solent Imperatores de criminis læzæ Majestatis,  
die wieder vns vnd das Heilige Römisch. Reich gehandelt. Besold. dis-  
serg. de Majest. in genero c. i. n. 4.

18. De Rego Romanorum, qui extra ordinem, exigente sc. ne-  
cessitate Imperij, vivo adhuc imperatore eligitur, ut perpetuus imperij  
sit vicarius, & absente vel Impedito Imperatore, omnia jura imperato-  
ria exerceat, ut & de Vicariis cæteris, qui mortuo Imperatore, tempore  
interregni imperio præsent sit. s. A. B. licet majestatem, ut pote que non  
est temporalis sed perpetua, nec vicaria sed propria, non habeant  
vix tamen negari poterit, crimen Majestatis in illos quoq; committi.  
hoc est tale, quod pro crimine Majestatis habeatur, & sic sit puniendum.  
per omnia enim Vicarij repræsentant Imperium & personam Imperato-  
ris d. tit. s. A. B. ibi an Stade eines Römischen Königes. Addition. ad RW-  
melin. in A. B. part 1. diss. 4. th. 16. lit. e.

19. In quæstione etiam est, an & in Imperatricem committat-  
tur hoc crimen? Et nonnulli, inter quos Hippol. de Marsili. consil. i. n. 11.  
& seq. affirmant, ducti hac ratione, quod factum Augustæ sit factum ipsi-  
sius Imperatoris. Bene à Zenone 2. vers. eodem q; modo C. de quadrienni  
præscrip. & quod sint una anima unumq; corpus, illiq; omnia à Principe  
concessa sint, quæ ipse habet. l. 31. ff. de LL. Contrarium tamen pleriq;, te-  
ste Decian. l. 7. c. 5. statunt Namq; illa privilegia, quæ Imperatrici conces-  
sa, non gubernationem imperij & ipsam summâ potestatem, sed tantum  
bona ejus, ut inquit gloss. ad ante alleg. l. 31. ff. de LL. concernunt, de  
cætero est, sub Domino marito ac Imperatore. Hinc nec legibus, ut Im-  
perator, est soluta.

20. Electores quantam semper habuerint & adhuc habeant au-  
thoritatem in imperio, nemo non scit, adeoq; non immerito Regibus  
comparantur. Unde Beatus Lutherus, qui citatur à D. D. Reinking lib. 1.  
clas. 4. c. 3. n. 6. Die Churfürsten schreiben den Königeneure liebde  
vnd nische Gnaden/ dann sie sind ihnen gleich geachtet; quod tamen  
hodiernis moribus aliter observatur: scribeentes enim Regibus titulo

grat

etet Königliche würde utuntur, quo honoravit Regem glorioissimum  
Sveciae Collegium Electorum in literis 13. Augusti Anno 1650. Ratisbo-  
nae datis. Hi vero licet Majestatem non habeant, *Addition.* Rumelin  
part. 3. *dissertat.* 2. *ad A.B. tb. 9.* hoc tamen crimen in eos committi du-  
bio caret, utpote cum in ipsa A.B. ita sit dispositum sit. 24. *Wer mit Fäu-*  
*sten &c.* Siquidem pars corporis Imperatoris sunt, und ihre Hoheit  
und Authorität ist mit des Römischen Käysers Gewalt und Hoheit als  
so verbunden/ das eine ohne die andere nicht kan verschmelzen werden.  
*Addition.* *ad Rumelin. in A. B. part. 3. dissertat. 2. tb. 9.* Nec in cæteros  
Principes ac Status imperij suo modo hoc crimen committi, planè ne-  
gari potest, licet sint, qui in totum dissentiant.

21. In genere vero hoc asserendum de omnibus, qui superio-  
rem non recognoscunt, sive sint Reges, Duces, Principes, sive liberæ  
Civitates, Republicæ & Populi, quod adversus ipsos æquè ac adversus  
Imperatorem Romanum crimen hoc committatur. Eandem enim in su-  
is regnis & ditionibus potestatem habent, quam in orbe Romano Impe-  
rator, ideoq; & subditi eorum pari ratione iis obstringuntur, & in eos  
delinqvunt. Sed quid de Pontifice Romano sentiendum, num & ille  
hoc in casu cæteris Principibus est comparandus? Ita quidem volunt  
canones per c. felicis, de penit. in 6. c. solite, extra de Major & obedient. &c.  
in tantum, ut etiam interpres subditos imperij & principis cuiusvis,  
quini modò ipsum Imperatorem, si contra Papam quid molitur, hoc cri-  
men incidere affirmet Decian. lib. 7. c. 4. num. 4. & c. 8. num. 1. *Clar. S.*  
*laesæ majest. num. 41.* Nos tamen sacris literis rectius edociti, Canones  
illos ἀναγονεῖς *Luke* 22. v. 25. 1. *Petr.* 2. 1. *Tim.* 2. 2. & sententiam illam a  
dulatoriam & erroneam esse liquido statuimus.

22. Denique crimen Majestatis committere quoq; eum, qui in  
necem Consiliariorum Imperatoris aut Senatoris quidpiam molitur,  
diserte traditur l. 5. Cod. b. t. De eo vero queritur, utrum & ille, qui  
bene in Principem, male vero in Consilium affectus, huncq; ex pri-  
vata inimicitia occidat, reus hujus criminis fiat? Negativa, quia nec  
adeo absurdum videri posset, quamplurimos inventis defensores, adeo ut  
eam etiam communem dicat Tiber. Decian lib. 7. c. 5. num. 4. eandemq;  
teneat Treus Vol. 2. *dissut.* 32. tb. 1. lit. c. & ibi Bachov. Nos tamen  
Affirmativa subscribimus, moti, quod l. quinque. Cod. b. t. hoc in ea  
su non distinguit. Nec ad rem facit, quod Principem directo iudicare

B nomi

non voluit; quia nihilominus per indirectum, ut & tota Republica, cui  
occisi consiliarii consilia maximo usui, turbulentio praesertim tempore,  
esse possent, laeditur. Nec opus fuisset l. qui quis promulgatione in  
eo articulo, qui Consiliarios concernit, siquidem jam ante lex lata erat in  
caam, qui ut Domino faceret injuriam, servo fecit l. II. §. 35. ff. de injur.  
§. 3. inst. cod.

23. Quod de Consiliariis dictum est, indistincte ad omnes per-  
tinet, sive in aula Principis sint praesentes, ejusq; lateri adhaerant, sive  
in alio loco suarum rerum sedem habeant, ibiq; commoretur, idq;  
ideo, quia l. quinquis s. C. b. t. id non diserte requirit, ut semper sint  
praesentes, sed saltet hoc, ut Consistorio Principis consiliij causa, re ita  
exigente, vocati intersint: quod verò lex simpliciter non requirit in ali-  
qua causa, id necessariò desiderari dicendum non est l. 5. pr. de probat.  
l. 19. vers. superstitionis quidem, ibi, qd quod nulla constitutio, C de collat.  
Huc accedit, quod Consiliarij conjugantur itidem Senatoribus, qui ta-  
men consiliis publicis non in Oriente, ubi d. l. quisquis lata est, sed Romæ  
consiliis pro Republica vacabant l. penult. & ult. ff. de Senat.

24. Ultimo loco queritur de Tyranno, an & adversus illum cri-  
men hoc committatur? Quod negandum existimamus, sive exercitio &  
titulo simul, sive titulo, aut exercitio solùm talis sit: tot enim Tyranno-  
rum species Politici statuunt. Piccart. ad lib. 4. Polit. Arist. c. 10. Reinling.  
de regim. l. 1. c. 1. c. s.m. 3. Quoad illum tamē, qui exercitio talis est, distin-  
guendum 1. inter Tyrannum obscurata improbitatis, & nullo corri-  
gibilem remedio, & inter illum, cui corrigoendo remedia adhuc super-  
lunt. 2. inter illum qui paulò asperius dominatur, & illum, qui omnia  
pietas, juris ac honestatis repugna nefarie perfringit. Contra poste-  
riorem si qui conspirant & aliquid hostile machinantur, vel etiam per-  
petrant, hujus criminis rei dici non possunt. Potestas etenim illius ta-  
gentur, sed purum latrocinium; latronem autem cuivis impunè occi-  
dere licet l. 3. ff. de just. & jur. l. 1. & 2. C. quando licet unicuiq; sine iudic.  
Patria quoq; pluris facienda quam unius hominis insana libido. Hinc  
& Religioni erga DEUM proxime conjungitur Amor ac obedientia  
erga Patriam.

25. Nunc ad Modos, quibus crimen hoc committitur, acceda-  
mus, qui vel in facto ipso, vel conatu consistunt. Factum etiam sub se  
compre-

comprehendit non factum, seu omissionem ejus, quod fieri debebat,  
l. 2. §. 5. de P. 3. f. 189, ac V. S. Facti varia sunt species, differuntque qua-  
tenus vel Perduellionem, vel simplex Majestatis crimen sapiunt, de quis  
bus supra dictum, possumusque varia exempla videri in legibus f. 6. Cod.  
sub hoc titulo positis. Add. Bocer. 4. tr. de crim. lese majest. c. 2. Decian.  
lib. 7. c. 7. & multis sequentibus, ubi copiosè recensentur & explican-  
tur, quod lectorem brevitatem habita ratione remittimus.

26. Non facta sunt, si quis v. g. auxilio suo exercitui populi  
Romani non subvenit l. 2. l. 3. ff. b. t. Si moderator provincie, hoc scie-  
lere cognito, laesam Majestatem non vindicaverit l. 1. vers. nam post. C. de  
privat. carcer. aut si is successori non cedit, vel ei exercitum non tradit  
l. 2. b. t. Non carcer autem controversia, an & ille perduellionis vel  
quali perduellionis crimen committat, qui tractatum, conspirationem,  
seu rebellionem contra suum Principem & Rempublicam insitum scit, &  
tamen non revelat? Nos Bartoli id affirmantis sententiam ad l. 6. n. 3.  
de lege Pomp. de parricid. quem præter plures alios seqvuntur Gomez. Var.  
resolut. 3. c. 2. n. 8. Decian. d. tral. lib. 7. c 34. n. 15. Faxin. libr. 1. de indic.  
& tort. tiz. s. quest. 51. num. 59. Mynsing. s. observ. 40. velut commu-  
niorem amplectimur, ducti textu expressio in l. quæ quo. §. 6 ibi, consciū. C.  
b. t. Semper enim scientia non revelata poena digna est, si delictum re-  
velandum tendit in personam ejus, cuius potestati suppositus est ille, qui  
conscius fuit delicti perpetrandi l. §. 18 junct. §. 36. & seqq. de S. Cto  
Silan. l. 6. de l. Pomp. de parricid. Facit. l. 50 de R. I. Ubi Paulus Ictus  
dicit carere culpa eum, qui scit, sed prohibere non potest: Unde à con-  
trario sensu, qui scit & prohibere potest, culpa vacuus non est. Boceru  
d. 27. c. 2. num. 46.

27. Quæ tamen sententia recte in eo limitatur, qui non tantum  
scit, sed & probare valet, cum aliis accusator rei hujus criminis subjiciatur  
tormentis, si aliis manifestis argumentis accusationem suam  
probare non possit l. 3. l. 4. C. b. t. l. 16. C. de question. l. 8. C. de ca-  
lumniat. Gomez. d. tom. 3. c. 2. num. 8. 2. in Sacerdote, qui audivit in  
confessione machinantem adversus Principem, & crimen hoc non reve-  
lavit, præsertim si confitentem machinationis sua punitur, & abfolu-  
tionem fuerit meritus. Sicut enim D E U S homini confitenti tegit  
peccatum interius, ita & sacerdos exterior celare debet c. sacerdos; de  
panitent

penitentia distincta. 6. Gaius. i. observat. 100. n. 8. Menochius de art. Q. casus 81.  
vid. & Bachor. ad vol. 2. Tit. disput. 32. th. 1. lit. F.

28. Solo etiam Conatus hoc crimen committitur, etiam si nol-  
lus fueris fecatus effectus, per tez expressum in l. quicquid r. pr. ibi, eadem  
enim severitate C. h. t. idem reperitum in aurea bullatice 24. ibi, das  
auff jochum falk der wille mit harigkeit gleich der That selbsten ernstlich  
zu straffen. Licet enim alias in criminibus etiam atrocibus aliis, num-  
quam tam graviter puniatur conatus sine effectu, in hoc etiam crimen  
propter summam sui atrocitatem propositum seu voluntas pena est  
obnoxia, non tamen nuda, & quae interioribus animi fibris adiuc inclusa,  
sed ad actum aliquem exteriorem est progressa, ut non dubium  
cogitati sceleris sed manifestum faciat indicium. Quae severitas de  
crimine perduellionis in dictis texibus expressa ad simplex Majestatis  
crimen nullo modo trahenda vel extendenda.

29. Non solum autem, qui ipse facit, aut conatur aliquid contra salutem securitatemq. Imperatoris aut imperij, sed etiam qui dolo-  
malo tale quid fieri curat, consilium opemve praestat, de hoc crimine  
tenetur l. i. §. 1. ibi, cuius opera doloye malo: item, cuiusve opera, consilio  
dolo malo, consilium initum erit, item ibi, feceritve dolo malo, quo hostes  
populi Romani &c. vid. & L. 4. eod. Unde & ratum habens factum no-  
minis suo gestum tanto magis huic criminis obstringitur, c. felicis, de pa-  
niis in 6. Nec ille, qui receptat, ab eo excusat l. i. de receptor. Quod tamen in filio, uxore, affine arctiore affinitatis gradu conjuncto  
patrem, affinem receptantibus DD. limitant, modò non animo hosti-  
litudinis complices criminis, sed pietate & misericordia ducti receptaverint.  
Decian. d. tv. lib. 7. c. 34. num. 9. & seqq. Non teneatur etiam receptans,  
si vel vi vel metu, qui in constantem vitum cadere potest, veletiam Ignor-  
ans receptasset glos. & Bart. in l. i. de receptoribus.

30. Cæterum an verbis quoq; contumeliosis seu maledictis cri-  
men hoc Majestatis perpetretur, non levis est dubitatio. Et negari qui-  
dem non potest, jure quondam civili maledicentiam in principes ad  
crimen læsa Majestatis spectasse, utpote cum Jul. Paulus s. sentent. 29.  
tab. tit. ad L. Jul. Majest. recensisit casibus, quib⁹ quis crimen hoc incurrit,  
tubdat hæc verba; quod crimen non solum factio, sed & impia verbis maxi-  
mè exacerbatur, quæ verba Modestinum in l. 7. §. ult. b. s. scripsisse, sed  
Trib⁹.

Tribonianum, cum sciret aliam Codici insertam esse legem, in mutasse,  
Cujus in comment. suū ibid. censem, quod etiam verisimile existimat Tiberius,  
Decian. d. 27. lib. 7. c. 50. n. 30. Verum hodie sub crimine majestatis ve-  
ro non comprehenditur, sed pro crimine ab eo diverso reputatur.  
Quam diversitatem non solum diversi Codicis tituli, quorum prior, si  
qui imperatori maledixerit, posterior, quisequitur, Ad L. Julianum Majestatis  
inscribitur, sed & ipsa sanctio l. 1. Cod. si quis imperatori maledixerit,  
satis, ut in discursu, si opus fuerit, ostendetur, probat. Nec enim lubri-  
cum lingua ad poenam facile trahendum esse boni Imperatores Tyranno-  
nos, Tiberium, puta, Caligulam, Neronem fecuti rectius censuerunt,  
monente Modestino in d. l. 7. s. 3. b. t. Aliud tamen de vocibus sedi-  
tiosis & turbulentis clamoribus, quibus ad arma populus concitatur &  
principis ac Republicæ salus periculo involvitur, est dicendum l. 1.  
in fin. b. t.

31. Consideratis modis, quibus crimen hoc committitur, jam  
Poenam inspiciamus, quā coercetur. Hæc ob perduellionem est ulti-  
mum supplicium. Variavit quidem hæc poena, & diversimodē de reis  
hujus criminis est sumpta. Apud Romanos enim, de quibus potissimum  
nobis sermo esse debet, modō saxo Tarpeio perduelles hujusmodi  
præcipites datū; ut M. Manlius Liv. lib. 6. cap. 20. modō cruci in  
campo Martio erectæ affixi, Cicero pro Rabir. modō quadrigis distracti, ut  
Metius Suffetius Livius lib. 1. modō laqueo suffocati, ut Catilinarij, Flor.  
l. 4. c. 1. modō obturcati, ut Sp. Melius Liv. l. 4. c. 15. Antiquissimum  
vero in perduelles supplicium fuit illud, quo dicebantur puniri more  
majorum, de quod Liv. lib. 1. c. 26. ubi dicitur lex horrendi carminis, quo  
dicebatur lictori, ut caput rei obnubaret, infelici arbori suspenderet,  
virgis ad necem caderet, verbèraret, vid. Sveton. in Neron. c. 49.

32. Jure Justinian. & ex l. Jul. Poena perduellis poena est gladij §. 3.  
Inst. de publ. iudic. l. 3. pr. b. t. l. 5. Cod. eod. quā quodvis ultimum sup-  
pliciū exprimitur arg. l. 3. de iur. ubi perjus gladij us necis significatur.  
Hodiernis moribus, ad exemplum supplicij Suffetij, solent rei hujus cri-  
minis in quatuor scindī partes, quæ in locis eminentioribus illius terri-  
torij, ubi deliquerunt, in terrorem aliorum suspenduntur Clavi s. sen-  
tent. §. lata Majest. crimen. n. 8. Damboud. præx. rev. crim. c. 62. n. 6.  
Quod genus supplicij satis probatum appetit Ordination. crim. Carel.

f. 471. n. 24. ubi de poena proditorum disponitur, quibus perduelles ad-  
huc putat sceleratores. *Bocer. d. tr. c. 3. n. 14.*

33. Præter amissionem vitæ, perduelles etiam bonis suis privan-  
tut, eaq; fisco applicantur, l. ult. b. 2. l. s. in fin. pr. & l. 6. l. 7. & ult. *Cod.*  
*cod. l. i. Cod. de petit. bon. sublati.* Licit enim novo jure damnatorum  
bona fisco non cedant, in re istamen perduellionis, quoad bonorum  
confiscationem, jus vetus nominatum fuit approbatum & retentum,  
*Novel. 134. t. ult. in fin. Auth. bonadammat. Cod. de bonis proscript.*

34. Id verò queritur, an omnia omnino bona, etiam feudalia,  
futura, & extra territorium condemnantis sita in hanc veniant confisca-  
tionem. Et de feudibus humior est opinio, quod illa vel ad domi-  
num vel ad agnatos feudi successores transirent. *Fend. 24. S. deniq.*  
*G. 2. Fend. 37. princ. Ordin. Cam. part. 2. tit. 9. S. 2. vir. vte auch die Et-*  
*hen.* Futura verò h. e. post contractum perduellionis crimen acquisi-  
ta, æquè ac priora fisco vindicari aperte probatur l. 2. *Cod. de bon. pro-*  
*script. Bocer. d. tr. c. 3. n. 40.* Sita extra territorium condemnantis sunt  
vel móbilia vel immobilia. Illa cum sequantur personam condem-  
nati arg. *I. mercatores. Cod. de commer. & mercator.* etiam ad fiscum  
spectant condemnantis; hæc non item, si sc. non solum jurisdictiones  
sint separatae, sed & fiscus effectu separatus l. 3. *C. de bon. vacante.*  
*Bart. in I. cunctos Populos n. 9. C. desum. Trinit. Hun. colleg. crim. disp. 10.*  
*th. 83.*

35. Nobilis etiam & à DD. varie agitata est quæstio ac con-  
troversia. An Confiscatio hæc bonorum perduellis ipso hat jure à dic-  
statim contracti sceleris, an vero demum condemnatione secuta. Nos  
textus juris nostri diversimodè loquentes l. 15. pr. qui & à quib. manu-  
mis. l. 22. pr. de jur. fisci. l. 46. § 6. cod. b. l. 20. de accusationibus l. 3. § 4.  
dedonat. l. ult. C. h. t. conciliari posse arbitramur distinguendo, utrum  
crimen hoc sit notorium, an minus. Priori casu confiscatio ipso jure  
fit, nec sententia declaratoria opus erit, licet plerumq; soleat interve-  
nire. *Decian d. tr. lib. 7. c. 40. n. 2.* posteriori opus est omnino & disce-  
pitatione causæ, & sententia condemnatoria. Quo casu cum adhuc  
cum vivente disceptetur reo, dominium penes eum manet, sed aliena-  
tiones quæcunq; considerato eventu condemnationis, censentur nulla,  
quod satis diserte traditur in l. 15. qui & à quib. manu. vid. *Bartor. ad*  
*volum. 2. Treut. disp. 32. th. 1. Lit. G.*

36. De-

36. Denique & memoria rei perduellionis damnatur d. S. 3. intit.  
de publ. jud. l. 6. S. n. ff. de injus. rupt. Esi enim regulariter crimen  
mortalitate extinguitur l. 1. & 2. C. si reus vel accusat mort. l. 6. depubl.  
judicis l. ult. b. t. Contrarium tamen in hoc crimine obtinet, dum re-  
us jam defunctus accusatur & condemnatur l. q. 1. h. t. l. 20. de accus. l. 7.  
C. b. t. vel perpetua ignominia nota ipsi inuritur & infamia ad omnem  
posterioratem transmittitur, vid. P. Theod. coll. crim. disp. s. th. 6. lit. e.  
Hinc & civitates rebelles nonnunquam & aratum passae & solo æqua-  
tæ, ut de Carthaginæ testantur historiæ & Jctus in l. 21. quib. mod. usw. fr.  
amit.

37. Nec solum ipsi rei hasce poenæ luunt, sed & ob atrocitatem  
sceleris in filios animadvertisit, utpote qui, sive mater sive pater hoc scel-  
lus admiserit, ab omni materna, avita, aliorumq; propinquorum heredi-  
tate excluduntur, & perpetua infamia notantur d. l. 5. C. b. t. Quæpa-  
na utrū videatur justo durior, non desunt tamen rationes, quibus de-  
fendi possit, quarum ea non est minima, quam afferunt Imperatores in  
d. l. 5. b. t. quod in illis paterni, hoc est hereditarij sceleris exempla-  
metuantur. vid. Forstner. Hypomnem polit. c. 9. Hinc Albericus  
Gentilis in d. l. 5. ex Jobanne Andrea refert, justè vereti Principem  
proditionem & scelus eorum, quorum parentes sibi vel prædecessoribus  
fuere hostes. Semper etiam præsumuntur liberi futuri ultiores ac vin-  
dices necis paternæ, & doloris ac vindictæ causâ contra principem aut  
rempublicam varia moluntur. Hinc apud Justinum lib. 21. c. 4. hæc redi-  
ditur ratio, cur Hannonis Carthaginensis ob perduellionem exquisitus illi-  
mo supplicio affecti filii cognatique omnes, etiam innoxij suppicio  
traditi fuerint, ne, inquit, quisquam aut ad imitandum scelus, aut ad  
ulciscendam mortem, ex tam nefaria domo supererisset, vid. ad illum lo-  
sum Matth. Berner. Parum etiam profuerit, si uno reflecto capite plurim  
ceu hydra capita renascantur, ut ex Nicera lib. 2. refert. Bachov. dis-  
p. 32. th. 1. lit. K. Quò pertinet porro, ut charitas liberorum paren-  
tes reipublica reddat amiores, & ab hoc nefando criminе deterreat  
arg. l. 9. s. fin. ff. quod metu caus. Deniq; si in aliis interdum delictis  
pænarum in exemplum sit exasperatio, & à Regula quasi discedit, ut  
quanto magis in hoc delicti genere, quod infinita secum trahit mala, id  
est admittendum? ut recte hinc referri possit illud Taciti Annal. 14. c. 44.  
Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra sin-  
gulos utilitate publicâ regreditur.

38. Peg

38. Per filios autem non solum intelliguntur post crimen commissum, sed & ante illud nati. Quod licet à Cyno in d. l. s. C. h. t. Jul. Claro in d. S. laſe Majestat. crimen. n. 12. & aliis negetur, affirmantibus tamen, quibus cum Antonio Gomez tom. 3 resol. c. 2. n. 16. Didac. G. var. variar. resolut. lib. 2. c. 8. n. 5. Menoch. lib. 5. præsumpt. 38. n. 16. & De cian. a. tract. lib. 7. c. 41. n. 8. subscribitur, patrocinatur l. s. S. filij C. b. t. dum de filiis generaliter & sine ullâ distinctione loquitur; & quidem de filiis ejus, qui hoc crimen commisit, quos ante natum fuisse oportet; alias non haberet. Apertum etiam est, rationes ante allatas, ob quas prædicta pœna infamiae & exclusionis ab omni hereditate & successione filij tenentur, æquè militare in filiis ante, ac post delictum patris. Omnes enim perversæ & improbabæ indolis paternæ jure sanguinis, quod inter illos est commune, participes & sic hereditarij criminis successores fore creduntur. Ad Nepotes tamen dispositio hæc pœnalis non extenditur, Bart. in l. liberorum 220. n. 6. de V. S. & in l. 20. ad L. Jul. de adult. Loquitur enim saltem de filiis, quorum propriâ appellatione Nepotes non continentur. S. ult. Inst. quæ testam. tut. dar. pos. l. 6. de testam. tut.

39. Quæ de pœna perduellium dicta, intelligenda etiam de reis quasi perduellionis, præterquam quod horum memoria non damnetur, quia in d. l. s. C. b. t. ubi de quasi perduellionis criminis agitur, nihil de eo expressum, odiosa vero minimè sunt extendenda arg. l. 19 in fin. de lib. & posth. c. odia 15. de R. I. in 6. c. In pœni 49. eodam. Si vero simplex majestatis crimen sit commissum, reus pro qualitate delicti modò pœna gladij seu ultimo supplicio l. 3. pr. b. t. l. 7. de re militar. modò deportatione aut relegatione cum infamia afficitur l. 40. junct. l. 24. ff. de pœni. Bocer. d. tr. s. 3. n. 100.


40. Agendum nunc porrò in calce jam esset de publico hujus criminis judicio & persecutione, quæ multa continet peculiaria & observata non indigna; Verum quia pagellarum spatum plura non admittit, illam partem omittimus, unicum id saltem adhuc querentes. An de hoc Majestatis, ac præsertim perduellionis criminis permisso sit Transactio? Id quod contra Cuiacum & Observat. rectius negatur, per ea quæ habet Delcio in repet. l. transfigere 18. C. de transact. n. 48.

SOLI DEO GLORIA.










tierela Testamenti inofficiofi , sed si hæredes minima etiam parte, cessante querela Testame ciosi, ad supplendum id, quod legitimæ dees possunt ex L. omnimodo 30. pr. C. de Testam. inoffici dum tamen hic erit jus vetus à jure novo: jure v tota legitima liberis effet relicta, querela inoffici menti non cessabat , de minimo enim eo jure Prætor; at jure novo , ut cesseret hæc querela , quantacunque etiam minima pars hæreditatis relicta, sic enim uti antea dixi, agere potest actio toria ad supplementum legitimæ §.3. I. de inoffici ibique Vinn. in Comment. n. 1. Ddres commun. add. Diff. 9. th. 38. Ubi notari meretur statutum Lube cautum; ut si quis proximis cognatis 8. solidos rios reliquerit, quæ summa certè satis minima sit Testamentum; v. jus Lubecens. lib. 1. tit. 9. art. Comment ad ius Lubecens. L. 2. tit. 1. art. 12. n. 7.

§. 10. Non tantum autem per querela ciosi Testamenti evertitur Testamentum , sed re rumpitur per agnationem posthumi, modo (1) non monströsus. leg. 3. C. Depolt. hæred in vivus ; ubi tamen non requiritur , ut per longius vixerit, sed sufficit si per minimum v. g. momentum tempus vixerit , adeo ut si vel spiritum tantum lico inter manus obstetricum decebat , ruptum intelligatur Testamentum. Stryk- ad §. 1. I. Quiam. infirm. Philipp. us. pract. inst. L. 2. Ecl. 75. n. 9

§. 11. Sed quia §. 9. mentionem feci leg. beris necessario relinquendæ, ulterius hic nota non sufficere legitimam liberis esse relictam, sed ut ea relinquatur libera & sine onere, quid enim si conditione casuali hæres scriptus fuerit ? pro



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 092